


Ve
1277





PROCANCELLARIUS
D. CHRISTIANVS GOTTLLOB
BIENERVS

CVRIAEC SVPREMAE ELECTORALIS SAXONICAE ET FACVL-
TATIS IVRIDICAE ADSESSOR INSTITVTIONVM IVRIS
CIVILIS PROF. PVBL. ORD.

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
VIRO DOCTISSIMO

I O A N N I A V G V S T O
A P E L I O

IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREO

A. D. XXL APRIL. CIOIOCCCLXXXXV.

H. L. Q. C.

IMPERTIENDOS

INDICIT.

Praemisso obseruationum iuris publici et feudalis
specimine II.
De statu et postliminio captiuorum in bello solemni
imperii cum gente extranea.

PROGENCETIVIAS
D. CHRISTIANVS GOTTLIEB
BIEHNRAUS

CARTAE SATRIMAN DICTOLOGIAE ET EYCA
TATIS INKIDICAT VERSOR INSTITUTIONVM IN ANIS
CARTAE TONI TUTA QD

SACRAE IN ASTRALIBV NVR MONOLES

ALIO PROCTISSIMO

O T B U A V A I N I A O L
D P L I O

LAURE ATPLISQVA DVCCATVANNO

EXCEPTEO CLOVIS CLOVIS CLOVIS CLOVIS CLOVIS

IMPETRANTIBVS

ALIO PROCTISSIMO

ILLABUS DE SEDIBVS FESTIS PROGESSORIS ET MONS
PROCLAMANS H

INVENTORIS QDSC DE MUNIMENTIS CLOVIS CLOVIS CLOVIS CLOVIS CLOVIS
CLOVIS CLOVIS CLOVIS CLOVIS CLOVIS

DE
STATV ET POSTLIMITINIO CAPTIVORVM
IN BELLO SOLEMNI IMPERII CVM
GENTE EXTRANEA.

§. L

Definitio postliminii proponitur cum duplice eius fictione ex iure Romano.

Noua hac scribendi opportunitate allata, haud alienum a temporibus studiisque nostris existimamus de iure postliminii in bello solemnis imperii cum gente extranea differere. Huius enim iuris in tanta imperiorum rerumque publicarum perturbatione, ne dicam euersione, ac tam varia bellorum fortuna, qua omnis fere Europa miscetur, non potest non multiplex oriri usus et applicatio. De Polonia, Gallia, Belgio, Sabaudia, Italia Hispanique non dicam, quamuis quae dixero, facile applicabuntur in his quoque regnis prouincisque; reuocanda enim est disputatio ad Germaniam, ne iustos limites egrediatur.

Postliminium duplicum significatum habet, aut enim pro facto aut pro iure accipitur, pro facto acceptum, est personarum rerumque liberatio ab hostili potestate, qua quidem significatione nihil praeter possessionem spectamus. Neque enim me poenitet *TVLLIUM Topit. cap. VIII. QUINTVM SCAEVOLAM P. M. F. ipsumque IUSTINIANVM*
§. 5. *Inſt. quibus modis ius patr. pot. soluitur ex grammatica verbi si-*

gnificatione notionem promentes cum GROTI Lib. III. *De iure Belli et Pacis* cap. 9. §. 1. MENAGIO *Amoenit. Iur. Civ.* cap. 39. aliiisque sequi, ut postliminio reuersum dicatur, quidquid ab hoste captum acceptum ad limina regni imperiique seu in potestatem nostram reuenit. Postliminium pro iure, ei qui iacturam libertatis reiue suae passus est, competente, acceptum, interprete PAULLO L. 9. D. de *capituis et postliminio*, est *ius amissae rei recipienda ab extraneo et in statum pristinum restituendae inter nos ac liberos populos regesque moribus legibus constitutum*. In singulis verbis huius definitionis interpretandis scite versatus est MAJANSIVS *dip. de postliminio* §. 14. seqq. eaque de caussa bina verba rei illustrandae addam. Expendit Paullus postliminium ex iure publico atque gentium idque receptum moribus inter gentes, definitum legibus in ciuitate recte ait, eique duo inesse, tam facultatem recuperandae rei amissae, quo significauit possessionem quidem rei nostrae ad hostem transire, sed non ius, non dominium, quam potestatem rei receptae et recuperatae restituendae in pristinam conditionem. Quod quidem ius et illi, cuius res, quibus etiam serui continentur, in hostilem potestatem peruenere, et ipsi capto, qui per vim iniuriamque detentus ius ac spem reuertendi ad suos alit, tribuendum videtur.

Vtrumque ius postliminio comprehensum ex scitis Quiritium nitebatur fictione, qua partim res et personae in pristino dominio ac statu remansisse, ideoque omnium iurium capaces, nec captus ab hostibus secundum VLPIANVM L. 199. §. 1. D. de V. S. absens esse censebatur, vt adeo, teste CAIO L. 32. D. de hereditibus *instituendis*, heres scriberetur, et res apud hostem constitutae, defendantem PAPINIANO L. 22. §. 5. D. *familiae exercitanda*, in diuisionem hereditatis venirent, par-

tin res et personae post redditum ex hostili potestate nunquam captae fuisse statuebantur, ut pristini iuris atque status propter vim hostilem suspensi perpetua continuatio haberetur. Haec igitur fictio ad eum casum pertinuit, quo res ac personae in pristinum statum reuersae conditioni suae restituebantur, fieri autem poterat, ut captus apud hostem moriretur, in quam rem alia legis Corneliae fictio comparata erat, in eo posita, ut ciuis Romanus eodem momento, quo captus, etiam mortuus videretur. Summam huius fictionis **VLPIANVS L.** 18. *D. de capt. et postl.* ita exprimit: *in omnibus partibus iuris, is qui reuersus non est ab hostibus, quasi tunc decessisse videtur, cum captus est;* **AVGVSTI** autem l. 1. *C. de postliminio reuersis et redentis ab hostibus,* hanc ipsam legis Corneliae dixerunt fictionem.

§. II.

De statu et conditione captiuorum ex iure veterum populorum praesertim Romanorum.

Duo sunt postliminii obiecta, personae et res, seu ut cum **POMPO-** **NIO** l. 14. *D. de capt. et postl.* loquar: *duae species postliminii sunt, aut ut nos reuertamur aut aliquid recipiamus,* vnum igitur ad redditum personarum ex hostili potestate pertinet, alterum in recuperatione rerum nobis ablatarum cernitur. Posterior quidem variat, prout res aut mobilis aut immobilis aut incorporalis est, sed de hoc alia fortassis commentatione, nunc de priore dicam.

Caput et fundamentum, quo postliminium personarum nititur, in iure apud veteres populos recepto positum est, quo capti, milites et pagani, in seruitutem incidere exsiliabantur. T. Manlius Torquatus apud **LIVIYM** Lib. XXII. cap. 60, captos ab Hannibale vocat;

deminutos capite, ab alienatos iure ciuium, seruos Carthaginem. Manauit id ex priscis gentium Nomadum moribus, quae bello ad intercessionem gesto captiuos aut interficiebant, ne porro nocerent, aut operis et seruituti mancipabant. Pyrrho apud SENECA in Troade ait:

Lex nulla captiuo parcit aut poenam impedit,

Quodcumque libuit facere viatori licet;

sed Agamemnon respondet:

Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor,

Minimum decet licere, cui multum licet.

Ex hac crudelitatis et humanitatis pugna variorum iurium origines et rationes promi debent. Captiuum enim occidere et more bellum saeuire in viatos, paulatim pro nefario facinore habitum, in seruitutem autem detrudere fas et aequum visum fuit. Itaque legati Atheniensium ad Aetolos apud LIVIVM lib. XXXI. cap. 30. fatentur: non id se queri, quod hostilia ab hoste passi fuerint, esse enim quaedam belii iura, quae ut facere, ita pati sit fas, sata exuri, dirui tecta, praedas hominum pecorumque ogi, misera magis, quam indigna esse patienti. Enimvero ingens barbaries pro iure venditata, quae homines pro preda esse ait, necari tamen vetat.

Ciues Romani tribus modis in hostilem potestatem incidere poterant, aut bello iusto cum vel sine armis capti, quod ulteriore illustringe non eget, aut bello subito exorto apud hostem deprehensi, secundum TRYPHONINVM l. 12. pr. D. de capt. et postl. exceptis tamen, teste ROMPONIO l. ult. D. de legationibus, gentium legatis, aut casu fortuito in potestatem talis gentis delati, quacum Romanis neque amicitia, neque hospitium, neque foedus amicitiae intercedebat. Hi populi, auctore ROMPONIO L. 5. §. 2. D. de capt. et postl. hostes

quidem non erant, quod autem ad eos peruererat, illorum siebat et liber homo ab eis captus seruus.

Itaque ad molliendam captiutorum conditionem inuentum est ius postliminii, vt et spes captis supereffret redeundi, et iuribus ac facultatibus in ciuitate relictis suis constaret ordo. Durante igitur captiuitate usus atque fruitio iurium cessabat, vt nec vxor aut vir, nec legitima nativitas, nec facultas contrahendi, testandi aut se obligandi intelligeretur, status tamen iurium rerumque, pendente captiuitate, qualis antea fuerat, maneret, adeo vt ex administratione adquisita, eius, qui apud hostes erat, patrimonium augerent. Itaque per redditum pristinæ conditioni et ingenuitati redditus, integratati suae ac pristinis iuribus restituebatur captiuus, vt ex illa ipsa fictione secundum *VLPIANVM L. 16. D. de capf. et poſl.* retro crederetur in ciuitate fuisse, qui ab hostibus adueneras.

Mos saeuendi in captiuos eosque vendendi et mancipandi seruituti haud insolens fuit populis originis Teutonicae, auctoritates et exempla dabit FR. CHR. IONATH. FISCHERVS in opere: *Geschichte des teutschchen Handels P. I. num. VII. p. 38. edit. nou. paulatim tamen apud hos et alios populos pro iniusto et barbaro et Christianis plane indigno habitus exoleuit. Quare certum et extra dubitationis aleam positum inter populos Christianos, milites, etiam si cum armis capiantur, non incidere in seruitutem, paganos autem et ciues inermes pro hostibus non haberi nec capi, sed in fidem et clientelam et subiectionem recipi. Quae situm igitur fuit, an moribus hodieris iure postliminiū vtatur. In grammatica quidem significatione id dubitari nequit, nam captiuos redire et pristinis iuribus restitu, quotidie videmus, sed in sensu iuris Romani id cefcare ex iis, quae*

paulo ante differuimus, sua sponte intelligitur. In hoc, qui de postliminio personarum tractat, loco, plerosque consentientes habeo, in quibus eminet IOAN. CIVILI ELMVS MARKARTVS *diff. de iure postliminii ex principiis iuris naturalis et morum hodiernorum, Exercit. Acad. Harderwici 1751. editarum No. VI. p. 272.* Quamobrem non potest non in personis et captiuis, monente id ipsum iam SCHILTERO *Ex. XIV. ad Pand. §. 2 et 3.* atque consentiente HANNESENIO *in comment. de conditione bello captorum Opusc. p. 230.* et postliminiis et legis Corneliae fictio exulare.

§. III.

De statu et conditione captiuorum ex iure Germanico.

Parum vtilitatis leges Romanae in statu et conditione bello captorum ex moribus potius Germaniae definiendo praestant. Rationem enim feruitatis Romanae habent, quam inter Chiristianos populos, certe in Germania exulare diximus. PAVLLVS *L. 19. pr. D. de capt. et postl. naturali,* inquit, *aequitate introductum est, vt qui per iniuriam ab extraneis detinebatur, is ubi in fines suos rediisset, pristinum ius suum recuperet,* quod quin applicari possit ac debeat, nihil dubitationis habet, sed haec et alia, natura duce intellecta et lege ciuili repetita, magis rationis, quam iuris Romani existimamus.

Leges Germanorum de iuribus captiuorum parum aut nihil sanxerunt, mihi certe nullus innotuit locus, ex quo tanquam ex fonte iura hauriri possint, licet pauca capita iam apud MASCOVIVM de bello solemni imperii *fct. II. §. 7 et 8.* excitata, de iure praedae reperiantur. Quae enim LEGE AVGSTALI *Art. IV. §. 12.* de pristino iuris publici tam sacri quam ciuilis statu per bellum turbato, per pacem restituendo cauta fuere, ad postliminium rerum pertinent;

Quamobrem praeter ius naturae et gentium, analogiam iuris publici
et priuati sequamur, necesse est.

Ponendum statim ab initio et pro certa iuris regula accipendum,
captos et milites et paganos esse et manere liberos, eaque de causa
retinere statum suum conditionemque in ciuitate Germanorum.
Nullus certe id ipsum addubitat, quae enim inter viros doctos mota
fuit quaestio; vtrum a Turcis et Algerianis in seruitutem detrusi, etiam
in nostra republica pro seruis sint et habeantur, quod THOMASIVS
de usu practico dist. hom. in liberos et seruos cap. II. §. 34. et HANNES-
NIVS *Opus. p. 229.* affirmat, MARKARTVS contra *Exercit. p. 274.*
aliique negant, ad nostrum locum non pertinet, euidem de gentibus
Christianis dispuo, ex quibus gentem Gallorum nondum eliminan-
dam censeo. Quibus quidem positis et concessis consequens est, vt
bello capti et milites et ciues ordinem suum, nec non munera in exer-
citu, in ciuitate, in aula atque adeo ecclesia retineant, sed an si-
pendium cum munere iunctum durante captiuitate postulare queant,
aliquanto difficilius definitu est. Euidem tali distinctione litem di-
rimendam puto; redditus muneris aut sine opera et labore percipiun-
tur, vt puta praebendae Canonicorum, fructus commendarum, pen-
siones, aut pro administratione aliqua et operis soluuntur, illos per
totum captiuitatis tempus percipi ex iis, quae supra differuimus, facile
intelligitur, hos autem, quia beneficium pro officio datur idque per
alios, qui praemio laboris carere nec possunt nec debent, administra-
tur, captius iure non exiget, eamque casui fortuito imputabit iactu-
ram, quamvis, quod deducto administrantis honorario superest, capto
deberi aequum iustumque videatur.

B

Ab hoc loco alienum non est quaerere, an quoque miles bello capitus stipendum durante captiuitate a Principe et ciuitate suo iure petat? MOSERVS in opere: *Versuch des neuesten Europäischen Völkerrechts in Friedens- und Kriegs-Zeiten P. IX. Vol. II. cap. XIV. §. 14.* ait: der Dienstherr der Kriegsgefangenen ist schuldig ihnen ihren Sold zu lassen, und sie auf seine Kosten zu erhalten; alterutrum quidem Principi, in cuius seruicio capti fuere milites, incumbere, naturali ratione intelligitur, vt aut stipendum aut alimenta praebeat praebitaque ab hoste soluat, sed ex qua cauilla ad utrumque simul obligetur, ego certe non video. Quare nec debita a captiuis contracta, nisi forte alimento rationem habeant, a Principe aut ciuitate exsolui debere statuo. Hoc autem verum et sane rationi consentaneum iudicare debemus, quod idem MOSERVS his verbis censuit: *Der Dienstherr darf auch weder seine Offiziers, noch die Gemeinen während der Kriegsgefangenschaft abdanken oder auf eine geringere Gage oder Sold setzen, um also sich ihrer Unterhaltung oder doch eines Theils derselben zu entladen.*

Porro ex retento statu ciuili captiuorum efficitur, vt penes ipsos dominium rerum suarum tam corporalium, quam incorporalium remaneat. Quanquam enim idem iam ex legibus Romanis, atque ex illa, quam supra diximus fictione, qua omnia iura, donec captus aut reuersus aut mortuus fuerat, in suspenso esse credebantur, sequi videatur, alia tamen est captiui Romani, alia Germani conditio. Ille enim seruus fingebatur esse dominus, hic liber reuera est, ille facultatem alienandi non habebat, hic habet, ille iuris contrahendi expers erat, hic particeps est. Itaque contractus et reliquas stipulationes a captiuis initas esse viles atque adeo cambia et chirographa creditoris

bus exposita vim obligandi habere nullus dubito, modo sine vi et metu
gestum contractumque fuerit. Hactenus de dominio, sed an idem
de possessione valeat, videamus. Evidem id defendendum puto.
Etenim secundum **PAYLLVM** l. 3. §. 12. *D. de acquirenda vel amitt.*
possessione, animo nostro, corpore etiam alieno possidemus, ideoque
nihil impedimento erit, quo minus is, qui apud hostes est, possidere
intelligatur, rem suam per colonum procuratorem administratu-
rus. Nec finiri mandatum per captiuitatem arbitror, neque enim
mandans pro mortuo habetur, ex quo patet, procuratorem cooptani
continuare administrationem eodem iure atque si dominus non esset
captus. Neque tamen magistratus curam, ut ne quid detrimen-
ti res captiui capiat, excludi debere puto. Procurator enim et colo-
nus, arrepta hac occasione, facile graffari posset in bonis alienis. Quod
si vero nullum procuratorem reliquerit captiuius, magistratus erit re-
bus necessario absentis curatorem satis idonee cauentem dare, quod
iam **AVGVSTORVM** rescripto, *L. 3. C. de postliminio reuersis* constitu-
tum fuit.

At enim de usucapione queritur. Iure Romano capti possessionem
rerum suarum amittere credebantur, ut postliminio reuersis noua
apprehensione opus videretur. Leges et argumenta dabit **ALTE-**
SERRA de *Fictionibus Iuris* Tr. V. cap. 5. Itaque **TRYPHONINVS** L.
12. §. 2. *D. de capt. facti*, inquit, *causae infectae nulla constitutione fieri*
possunt, ideo eorum, quae usucapiebat per semet ipsum possidens, qui po-
sset nanctus esse, interrumptur usucapio, quia certum est eum possidere
desisse, eorum vero, quae per subiectas iuri suo personas possidebat usque
capiebat, vel si qua postea peculiari nomine comprehenduntur, Julianus scri-
bit credi suo tempore impleri usucpcionem, remanentibus iisdem personis in

possessionem, Marcellus nihil interesset, ipse possedisset, an subiecta ei persona, sed Iulioni sententia sequenda est; in Germania omnino non, semper enim praeualebit Marcelli sententia, si non ex Quiritium, certe Germanorum iure.

*adpositi amphilicis curia nostra accipio, omnia omnia, sicut et
est. Inq. de testo lega l*ib.* §. IV. ut cap. d*icitur* consilium iudicium
*De regimine territorii Germanici Princeps capto.**

Quod si contingat, ut Princeps imperii aut Dux, Comes Nobilis imperii immediatus aut Episcopus, Abbas Praelatus in captiuitatem hostium abducatur, dubitari nequit, quin eadem iura iisdem conditione priuata spectatis seruanda sint, sed quia regimini populi et territorii sui praeesse nequit, omnino quaeritur quid in iure publico iustum iniustum videatur. Evidem Principem in potestate hostium redactum regimine territorii, quod apud hostes est, excidere arbitror, captus enim desinit esse persona publica, sine qua ipsum regimen intelligi nequit, eamque ob causam non potest non eius exercitium, Princeps in captiuitatem abducto, cessare. Imperatoris igitur erit, praecipue in feudis et territoriis secularibus curare, ut ne quid detimenti res territorii publica capiat, proximo agnato alioue, qui regimini et administrationi rerum publicarum praesit, interim constituto.

In territoriis et feudis imperii ecclesiasticis, iam legibus in hunc casum cautum fuit, ut sede plena, sed per captiuitatem Rectoris imponita, administratio ad capitulum perueniret. *LUDOVICVS BOEHMERVS vir et meritis et annis venerabilis in Principiis Iuris Canonici publici et priuati ex cap. III. de supplenda Praelatorum negligentia in 6to sedi Romanae administrationem durante captiuitate Praelati vindicare videtur, sed licet viri huius auctoritas merito maxima esse debeat,*

huic tamen opinioni accedere non possum, quae alioquin ex laudato capitulo vix demonstrari potest. Ipse enim Pontifex ius capituli agnoscit, facultate duntaxat aliter, si ipsi ex iusta causa videatur ordinandi sibi reseruata. Itaque in Germania de iure capituli in casu proposito nunquam dubitatum fuit, et cum saeculo superiore Treuirense Archiepiscopus Philippus Christophorus per plures annos captiuitate detineretur, capitulum Treuirense, teste Mosero in Iure Publ. Archiepist. Treuirense cap. II. §. 2. impeditae sedi praefuit, idque in similibus obtinere casibus FRIDERICVS ERNESTVS S. R. I. COMES AC DYNASTA DE SCHOENBURG de Episcopo minorenne §. 10. ecclie defendit.

Ex quibus quidem intelligitur, Principem imperii captum actionibus publicis auctoritatem dare non posse, eandemque ob causam nec suffragium in comitiis atque circulis imperii exercere posse. Quare etiam horum iurium exercitium ad curatorem et territorii rectorem pertinere arbitror. Atque id ipsum etiam ratio utilitatis publicae exigit, vt ne consiliis aut metu hostium aliquid in reipublicae detrimentum fiat consulaturue. In territoriis ecclesiasticis INSTR. PAC. Art. V. §. 21. nouum praebet argumentum, quippe capitula et quibus administratio cum iis competit ad vniuersales aequae ac particulares imperii conuentus vocantur. In Principibus secularibus id ipsum inde mihi intelligere video, quia minorum loco curatores in comitiis adsunt et de re publica consultant feruntque suffragia, quod PEFFINGERVS ad VITRIARIVM Lib. IV. Tit. I. §. 25. T. IV. p. 229. pluribus exemplis demonstravit. Territorii regimen autem ad eum statum redire Principe capto, ac si Rektor eius minor annis esset, ego certe nullus ambigo, idemque MOSERVUS T. XVIII. Iur. Publ. p. 149. aliisque locis fecutus est.

Princeps postliminio reuersus pristinae auctoritati et muneri restituitur quidem, nec tamen, quod eo capto decretum gestumue fuit, retractare aut rescindere potest. Collegia autem et Dicasteria in territorio constituta, per captiuitatem Principis, a quo et potestatem et auctoritatem suam acceperunt, non excidunt iure suo, ideoque iustitium in rebus ad collegia pertinentibus non oritur, sed capto Princeps iuri dicundo rebusque explicandis praesunt, ut ne auctoritate quidem procuratoris indigere videantur. Quare ea sola, quae sine ipsis Principis auctoritate et consensu expediri nequeunt, differenda sunt, donec aut Rector territorii legitimo modo ordinatus aut Princeps postliminio reuersus fuerit.

§. V.

De iure postliminii, omnibus captiuis competente variisque eius figuris.

MODESTINVS l. 4. *D. de captiuis* regulam definiuit: *eos, qui ab hostibus capiuntur vel hostibus deduntur iure postliminii reuerti antiquitus placuit.* Evidem hanc regulam non moribus solum et antiquitate receptam, sed ex ipsa natura haustam atque expressam puto. Nolo quidem disputare de iure victoris in captum, haec certe non dicam iniuria, sed crudelitas et immanitas foret, cui pro patria pugnanti, si incident in potestatem hostium, ius postliminii denegare. Placuit quidem Romanis, ut qui teste PAVLLO l. 17. *D. de capt. armis* victi hostibus se dederant, iure postliminii excluderentur, cuius legistrationem SERVIVS apud TRYPHONINVM L. 12, pr. D. l. c. hanc tradidit, *quia spem reuertendi ciuibus in virtute bellica magis, quam in pace Romani esse voluerunt.* Neque tamen non saepe redemptos legi-

mus captiuos eumque morem a patribus traditum ait M. Torquatus apud LIVIVM Lib. XXII. c. 60. de consilio autem Romanorum in redimendis et non redimendis captiuis plura memoriae prodidit RYBIVS. Evidem decretum ciuitatis; non redimi captiuos, non durum solum et inhumanum, sed iniustum adeo atque rationi contrarium puto, certe apud Germanos populos, qui eam potestatem in se et sua corpora nulli vñquam eiuitati aut Principi concesserunt, nunquam obtinuit. Quamobrem iuris hodierni certam esse et sanctam legem iudico, nulli captiui, quo modo cunque in potestatem hostium peruererit, ius postliminiū denegari posse aut debere, quamvis si aut perfidia aut infamia aut culpa id contigerit, post redditum perfidiae et criminum recte accusetur et condemnetur.

Duo autem in postliminio spectanda sunt, vt et liberetur captus ab hostili potestate et animum reuertendi id est, manendi in nostra ciuitate habeat. FLORENTINVS L. 25. D. de capt. et postl. de vtroque ita scribit: *Nihil interest quomodo captiui reuersus est, vtrum dimissus an vi vel fallacia potestatem hostium euaserit, ita tamen si ea mente venerit, vt non illo reuertetur, nec enim satis est corpore domum quem rediisse, si mente alienus est.* Vtrumque breuiter videamus. Redditus captiuarum pluribus modis contingere potest, ad duo tamen genera referri possunt, aut enim liberantur suo vel alieno facto, aut conuentione de reddendis captiui nomine publico inita, restituuntur; prius contingit, si vi vel fallacia custodiam hostium euaserint aut lytro redemerint libertatem donoue acceperint aut victis hostibus recuperati fuerint. PAVLVVS L. 19. §. 3. D. c. l. postliminio, inquit, rediſſe videtur, cum in fines nostros intrauerit — sed et si in ciuitatem sociam amicamue aut ad Regem socium vel amicum venerit, statim postli-

minio rediisse videtur, quia ibi primum nomine publico tutus esse incipiat. Finium verbum non tam in stricto sensu esse accipendum, quam de possessione interpretandum et ratio scriptoris adiecta et **POMPONIVS** l. 5. §. 1. c. 1. ita declarat: *tunc autem reuersus intelligitur, si aut ad amicos nostros perueniat aut intra praefidia nostra esse coepit.* Ex quibus mox intelligitur postliminio etiam reuersos esse, qui a sociis vel amicis recuperantur. Belli enim causa est indiuidua, ut nihil referat, vtrum ad nosfrates reuenerint captiu, an ad focios et amicos, nam apud hos quoque nomine publico tuti esse incipiunt.

Ambiguum multis visum et in vtramque partem disputatum fuit, an ii quoque postliminio reuersi dicantur, qui ad populum Regemne neutrarum partium, vt puta si exemplum ex praesente bello capias, ad Helvetios aut ad Danorum Suecorumque Regem, peruerterint; equidem distinctione respondendum censeo. Etenim aut viator captos in potestate sua detinens fines aequi inter vtramque partem populi Regisue ingressus est aut captiu hostilem custodiam elapsi ad populum Regemne neutrarum partium se receperunt, illo casu oriri postliminium nego, hoc affirmo. Qui enim fines pacificos intrarunt, iure suo exigunt tutelam, quam Princeps populuse neutri parti denegare potest, vt ne index inter belligerantes federe videatur. Quare viadore tuebitur contra vim iniuriamque captiuorum nec impedimento erit, quo minus ille captos e sua custodia in regno pacato elapsos persequatur in potestatem suam redactus, e contrario tutos etiam praestabit a persecutione et apprehensione, eos qui iam liberati a potestate hostium se in fines regni receperunt. **MAIAN-**
SIVS T. I. Disp. Iuris p. 236. et CVNAEVS Responso in tali specie

edito eandem distinctionem fecuti nubem exemplorum ex antiqua et noua historia coegerunt.

Animus reuertendi in nostram ciuitatem, erat altera conditio postliminio adposita. Nemo enim postliminio reuersus iudicatur, nisi qui hoc animo ad suos reuenit, vt res eorum sequeretur. Exempla dabit **POMPONIVS** l. 5. §. 3. *D. de capt. et posl.* Quod si quis igitur, vénia ab hoste impetrata ad suos profectus fuerit, stipulatione de redeundo interposta, aut si sponte dimissus nolit reuerti ad lares suos, neuter postliminio reuersus intelligitur.

Quaestio illa apud Romanos vehementer agitata atque apud **COCCIVM** de postliminio in pace et amnestia sect. II. §. 22. et **MARIANSIVM** de posl. §. 7. seqq. ex testimonis veterum tractata, scilicet, an qui hostibus deditus neque acceptus rediit, cuius Romanus sit? plane exulat in Germania. Quod si enim Brutum, Ciceronem, Grotium aliasque iuris aequioris autores ac defensores sequarent, ex iure adeo Romanorum publico, cuius manet, sin Mucium, Pomponium, et quod miror Modestinum audias, ciuitatem non adipiscitur, quia quem semel populus iussisset dedi, ex ciuitate expuisse videtur. Hanc rationem moribus legibusque nostris admodum non posse, manifestum est, ex quo sequitur, vt Scaeulæ sententia ex vniuersa Germania expelli debeat. Alia ratio est si obes hosti deditus aufugerit, quale exemplum memoriae prodidit **LIVIUS** lib. II. c. 13. talem enim recipi nec posse nec debere, nisi foedererupto et fide fracta, sua sponte intelligitur. Romani in captiuo fidem et iusirandum Hannibali datum calumniant decreuerunt; *comprehendendum et custodibus publice datis deducendum ad Annibalem esse*, quod omnino iustum videtur.

De obligatione ciuitatis Germanicae redimendorum bello imperii captiū. §. VI.

Haud insolens quidem fuit veteribus populis atque etiam Romanis de captiis reddendis, permundandis, redimendisque pacisci, eiusque rei vestigia apud LABEONEM L. 28. et TRYPHONINVM L. 12. D. de capti. cernuntur, nec tamen constans aut iure gentium receptus fuit mos. At enim sublata captiuorum seruitute, et militibus per quos bella gererentur, auctoritate publica lectis, in ius et obligationem abiit, ut bello capti, certe inita pace reciperenrur ad restituenterur. Milites enim nomine et mandato publico rem et causam ciuitatis agunt atque defendunt, aequum igitur et iustum est, ut iactura corpore et libertate passa sumtu publico reparetur, si eos aut vulneribus acceptis aegrotare aut in potestate hostium incidere contigerit. Ex quibus patere reor Principibus Germaniae obligationem bello solemnni imperii captiū aut permutatione aut pecunia redimendorum esse impostam, nec de vnu huius iuris aequitas atque humanitas, quibus et Principes imperii et ipse Augustus erga milites suos vtuntur, nos dubitare finunt.

Conuentio de captiis reddendis aut durante bello initur aut pacificationi additur, illa, quatenus permutationē bello vtrinque captorum continet a ducib; accidente tamen Principis, cuius auspiciis bellum geritur, consensu vel mandato, recte contrahitur, haec autem iure pacis continetur. In bello solemnni imperii duces duplicitis sunt generis, aut imperii aut Principum, ideoque haud superfluum est quare, quinam de reddendis captiis permundandis pacisci queant? et respondeo eos, in quorum potestatem captiū peruenierunt.

MAXI-

MILIANVS II. *A constitutione ordinum consensu an. MDLXX. edita et Reuterbeſtallung inscripta cap. 94. et 95. apud SENKENBERGIVM T. III. Coll. Nov. Receff. Imp. p. 330.* fanciuit, vt summi militiae duces aliquae praefecti ipsius imperii fierent captiuū, ideoque summo militiae imperialis praefecto, proemio fortitudinis capientibus soluto, traderentur, reliqui contra tribuni ordinum et gregarii milites capientibus cederent. Ex quo loco intelligere milii videor, conuentione de ducibus hostium captis aut dimittendis aut permutandis aut redimendis in comitiis Germaniae tractari debere, reliquorum contra permutationem, di- missionemque in eorum arbitrio esse positam, in quorum potestatem redacti fuerunt. Neque tamen non summus militiae imperialis praefectus ex illa ipsa conſtitutione, quemadmodum de captis, ita etiam de captiuis dimittendis certior fieri debet, quod an in praefente bello applicari possit, dicere vix ausim, quemadmodum et reliqua, quae in negotio tam arduo occurrere possunt, silentibus legibus definire, a me alienum duco. Sanctionem enim INSTR. PAC. OSNAEBR. art. XVI. §. 7. comprehensam neque in futurum obligasse, neque ad bella gentium adcommodari posse nullus equidem dubito.

Si per bellī calamitatēm non licuit, vt de captiuis reddendis transigeretur, id in componenda pace fiat oportet. Etsi enim Romani id aut non curare aut, ne captis ius postliminii esset, statuere solebant, hoc tamen a nostris abhorre moribus supra diximus. Itaque caueri nunquam poterit, vt ne captiuis ius postliminii competat, foret enim hoc proscribere atque exilio multare ciues pro patria infeliciter quidem, sed sua an aliorum culpa, vix ex facto iudicari poterit, pugnantes, quod quantopere ab aequitate et moribus nostris abhorreat, nemo non intelligit, vt negligantur autem et quasi derelinquantur fieri po-

test, quamvis iure non liceat. Itaque quaeritur an tali pacto excedant iure postliminii? quod non puto, idemque *Coccoeius de postliminio in pace et amneſia Sect. II. §. 28. seqq.* multis argumentis defendit.

Postliminio reuersos, sive bello sive pace contigerit reditus, iuribus suis tam ante captiuitatem obtentis, quam durante absentia adquisitis restituiri oportet. *TRYPHONINI* regula *L. 12 §. 6. D. de capt. et poſtl.* hodieque vera est; *caetera*, inquit, *quae in iure sunt, poſtequam poſtliminio rediit, pro eo habentur ac si nunquam iſe hostium potitus fuiffet.* Idem Germanis olim iam non displicuisse *LEX ROMANA* seu *RESPONSVM PAPIANI*, cuius historiam in *COMMENTARIIS de origine et progreſſu legum iuriumque Germanicorum* *P. I. §. 81. et 82.* tradidi, apud *AMADVTIVM* *p. 270.* his verbis declarat: *ſi quis seruus poſt captiuitatem redierit, ad ius domini reuertatur et ſi ingenuus redierit, iura libertatis integra ſe nouerit recepiffe, nec eo tempore ei ad quamcunque cauſam obeffe, quibus in regione alia captiuitate detentus eft.* *et Damnum negligentia colonorum, procuratorum atque administratorum exortum eis non Oberit, ſed competente actione emendabitur et redintegrabitur, de qua Avgvſti L. 18. C. de poſtliminio reuersis, referi pferunt: quae in eadem cauſa quidem durant omnimodo directa, quae vero per uſuacionem vel liberationem ex bonis ſubtracta ſive non utendo finita effe videantur, intra annum utilem (add. Iuſtiniani constitutio l. vlt. C. de temp. in integrum ref.) experientibus actione reſiſtoria refituntur.*

§. VII.

De lytro ex iure Germaniae publico, feudalii et priuato.

Accidit interdum, vt qui apud hostes sunt, nec permutatione aliorum captiuorum restituuntur, redimantur aere. Taxa quaedam

pro modo dignitatis ciuilis, ordinis in exercitu, peritiaque bellicae constituitur, qua soluta restituantur. Exempla praeter HERTIVM aliasque edidit MOSERVVS & L.P. 388. seqq. quae harum rerum cupidum facile satiabunt, sed ipsam rem eiusque iura breui videamus. Lytrum dici pecuniam pro liberatione ex captiuitate praeslitam, satis notum est; HERTIVS in *Opusculo de lytro historiam eius et antiquitates eruditæ tradidit, paucis igitur ius expediamus.* Primum itaque quilibet ex priuato redimi potest, quod iam patres apud LIVIVM Lib. XXII. cap. 6o. statuerunt. Quare nec prohiberi quisquam potest, quo minus ex re pecuniae sua aut ex hereditate delata legatisve acceptis, pretium redemtionis sibi remittendum curet, idque adeo iam IMPP. L. 15. C. de postliminio reuersis, fauore ingenuitatis sanxerunt. Itaque nec ambigitur, quin chirographum aut cambium super lytro soluendo expositum, iustum et validum sit, quod hostis aut qui causam ab hoste habet apud magistratum competentem legitimo modo persecutatur, quamvis latrunculis vel praedonibus et piratis recte denegetur actio. Alium etiam sua impensa captiuos redimere posse extra dubium est, idque aut animo donandi fieri aut ut in creditum cum redempto eatur, ex ipsa re patet. Iure Romano creditori pignus in corpore redimenti competitissime, leges apud WESTENERGIVM in principiis iuris secundum ordinem Digestorum Lib. XX. T. II. §. 17. demonstrant, idque ex iure Attico manare, obseruauit GROTIUS de I. B. et P. Lib. III. cap. IX. §. X. no. 2. et HERTIVS c. l. Sect. II. §. 32. qui et reliqua lytri iura docte interpretatus est. Iuribus nostris creditori in libero corpore pignus non competere, manifestissimum quidem est, an autem lytrum, exorto creditorum concursu, praerogativa aliqua gaudeat, in vtramque partem disputatur, aequum esse, ut pignus

olim in corpore constitutum ad bona transferatur; nemo facile ibit infinitias.

An? et qui? teneantur redimere captiuos omnino quaeritur. **HERTIUS** *Sect. II. §. 29. ex II. F. XXIV. §. 8.* atque **BITSCHIUS** *comment. in consuetudines feudorum p. 368.* vassallum sub iactura feudi ad dominum redimendum obligari aiunt, argumento ex his verbis: *vassallus, si cognoverit dominum inclusum et eum cum potuerit, non liberauerit, feudum perdit,* deprompto, vereor autem, ut ex sensu iuris Longobardici id procedat. Locus enim allegatus non de domino capto, sed obesse tractat, ut seruitia vassallis indicere nequeat, eamque ob causam iis iniungitur, ut sua sponte dominum adiutum veniant, id quod luculentissime ex *II. F. XXVIII. §. 1.* intelligitur. Atque omnino naturae feudorum repugnat, ut vassalli dominum captiuitate liberent pecunia sua, quod adeo verbis expressis *II. F. XXVI. §. 16.* statuitur; neque dominus ad redimendos vassallos obligatur, nisi ex singulari conuentione aut dominus, quod **HENRICVS ILLVSTRIS** *Mishiae Marchio tabulis an. 1240. apud WECKIUM Chr. Dresd. P. II. p. 116.* fecisse traditur, aut vassalli, quale exemplum in Burgundiae ducatu ex decreto comitali an. **circcccxii.** exstisit constat, obligationem talem suscepserint. Existere tamen conuentionis casum in bello solemni imperii nego, dominus enim et vassalli neque pro se neque pro domino militant, sed stipendium pro patria merent, in quo nulla clientelarum ratio habetur. E contrario subditos ad Principem suum redimendum obligari, ut pecuniae comparandae causa tributa adeo indici queant, idem **HERTIUS** *et l. p. 10.* et rationibus et exemplis demonstrauit, an idem officium Principi erga subditos suos incumbat, dissentiens est opinio, quod equidem affirmandum

censo, redimi enim debere bello captos supra diximus, igitur non potest haec necessitas alii imponi, nisi pro quo pugnantes libertatis iacturam passi sunt. Quare lytrum genere impensarum bellicarum comprehendendi debet, ut adeo ciuitas eandem pecuniam praefare et captiuos de publico redimere teneatur. Id aequitati et rationi esse conueniens, quilibet facile intelliget, nec moribus repugnare, exempla MOSERO c. I. p. 432. relata docent. Quae ex iure Romano hue admodum solent leges, per se applicari reor, nec ex L. 26. §. 6. *D. mandati vel contra*, quicquam opinioni nostrae aduersum efficitur, milites enim ex imperio ciuitatis agunt, nec sponte mandatum explant; deinde commodum belli ad rem publicam spectat, consequens igitur est, ut eadem damnnum sentiat praefatque impensis; tandem perperam ponitur ex moribus mediis aeu, milites ex locato conducto mercedem seu soldamat mereri, ideoque ut locatores operarum iactum pati et casum fortuitum; verum enim uero militare praesertim in bello solemni imperii magis pro officio et munere publico, quod pro patria obimus, accipiendo est, ut ex aliis rationibus, quam quae vulgo adferri solent, de redimendis captiuis differendum videatur.

Haec in priuierum dixisse sufficiat, sed in bello solemni imperii haud praeterqua est quaestio, quisnam onus redimendorum captiuarum sustinere teneatur. *MORGINGIVS de summa militiae imperia-
pis praefato cap. III. §. 16.* captiuarum redemtionem incumbere imperio recte quidem statuit, nec tamen, quis ad pecuniam exsolviendam obligetur, definito. Evidem ex rationibus iuris publici intelligere mihi videor, si quis ducum ab Augusto, ordinum consensu, creatorum (*Reichsgeneralität*), quod Deus auerterat in hostium incidenter potestatem, lytrum a toto imperio praestandum soluendumque esse. Offici-

cium enim pro communi patria administravit, bellum impensis communibus geritur, consequitur igitur, ut pecunia redēptionis ex aerario militari solvatur. Neque id moribus maiorum repugnat, etenim apud LONDORIUM Ab. Publ. Cont. IX. lib. X. num. 18. Imperator ait: *Sollte auch etwan der Reichsfeldmarschall, so doch Gott verhüten wolle, gefangen werden, so wird ihm auch das Reich mit der Ranzion, als einem Feldmarschall zu Hülfe kommen.* At vero reliqui duces ac milites in ipsum imperium redēptionis gratia nullum ius habent, sed cuiuslibet Principis est, quos misit redimere milites. Principes enim atque vrbes immediate ratam copiarum suarum ad exercitū imperii mitunt, missos sua impensa suoque periculo sustinent, sequitur igitur, ut captiuitatis quoque casum sentiant, onus lytri soluendi necessario latrū. In ipso territorio summa pecuniae ad redimendos captiuos necessariae eodem iure existimanda est atque reliquae belli imperialis expensae, ut non ex fisco aut camera Principis, sed ex aerario populi aut tributis subditorum solvatur. In circulis imperii, quorum Principes copias et arma iungere solent, nouae dubitationes et difficultates, si de redimendis circuli copiis agatur, forte nascentur, quas tamen ex iis, que differimus facile decidi et componi posse arbitror. Hactenus de postliminio personarum, rerum enim territoriorumque postliminium latius patet, quam ut tribus verbis explicari possit; propterea igitur ad denunciandum id, quod mihi hanc scribendi occasionem praebuit. Decreuit Ordo noster

VIRO DOCTISSIMO ET ORNATISSIMO
IOANNIA AVG VSTO
APELIO

XV RIS VTRIVSQUE BACCALAVREG

Summos Vtriusque Iuris Honores. Quos equidem eo Iubentius annuncio, quo gratius mihi est candidato doctissimo, eiusque Parentibus atque toti genti Apeliae eosdem congratulari. De vita sua candidatus haec mihi perscripta:

Natus sum Lipsiae anno huius saeculi septuagesimo primo, patre HENRICO FRIDERICO INNOCENTIO, Serenissimo Principi Electori Saxonie a consilis aulicis, ac matre IOHANNA CHRISTIANA, e gente KIRSTIA, quibus parentibus, quantum debeam faciliter est sentire, quam verbis declarare. Litterarum humaniorum elementa pri-
mum a magistris quibusdam domesticis, quorum nomina, cum, praeter unum (cuius memoria nunquam apud me erit inferitura) omnes adhuc incolumes existant, modestia restat exhibere, edocitus, aetate maturior scholam Thominam per aliquot annos frequentare coepi, simulque Clarissimi THIE-
MII, munere Conrectoris in eadem schola fungentis, priuatis usus sum lessionibus. Relictis his preparatorii studiis anno 1789 studium ipsum academicum ingressus sum in hac ipsa urbe, receptus in numerum ciuium academicorum iam anno 1778 ab Experientissimo POHLIO tunc tempo-
ris Rectore Magnifico. Hie a CAESARE Dialetices et Metaphysicas
praecetta acceperi, PLATNERI aestheticas praelationes frequentavi nec

D

non BIENERVM ea, quas ratio ac natura ipsa de iure homines docuerit exponentem, audiui, a quo eodem doctore multis nominibus mihi colendo, mox institutus sum, quae Romanis de eadem re constituta vix fuerint, quibusque sensim sensimque modis aucta fuerit et varia redditum legum Romanarum copia. Historiam uniuersam WENKIVS me docuit et BORNIVS colloquia de rebus philosophicis cum amicis instituenda moderatus est. His peractis litterarum academiam, quae Wittebergae extat, adi, ibique per annum integrum iuridicis et philosophicis disciplinis operam dedi, et quidem harum REINHARDVM in aestheticis et metaphysicis, SCHROEKHIVM in historicis magistros habui. Ex iurisprudentiae partibus autem WIESANDIO, Iuridicas Facultatis Ordinario, in Canonico et Germanico iure, WIELISCHIO in feudali operam dedi; in Saxonico autem Criminali et Pandectarum iuribus STÜBELIO usus sum doctore, viro consultissimo, mihi, cum ob egregiam doctrinam et eruditionem copiam, tum propter singularem, quae eius in me fuit, benevolentiam longe aequalissimum. Anno ibi peracto Lipsiam reversus studia iterare coepi. Ius Germanicum et Canonicum SCHOTTO duce cognoui, a quo simul ordinis, quo causae in foro agantur, notitiam accepi. Ius feudale me docuit RAVIVS, patronus maxime mihi colendus, Cambiale PÜTTMANIVS, KEESIVS vero ius Ecclesiasticum Protestantium et artem referendi ex actis. Iuris denique publici Germanici, Pandectarum et ordinis iudicarii praeculta BIENERO debeo. In physicis vero HINDENBURGI et ESCHENBACHI institutione uti mihi contigit. — Studium litterarum sic emensus discrimen inter delicia atrocia et leuia rite statuendum libello exposui, quem d. 15. Dec. anni 1791 sub KLESII praefidio defendi. His peractis tentamini utrique iuris Candidatis subeundo me subieci,

et capessuris iam summos in iure honoris, libellum de origine rustorum dotalium eorumque in primis in Saxonia conditione, publice defendam.

In utroque examine autem ita se Nobis exhibuit, ut plane dubitare non possemus de conferendis Ipsi Summis in Vtroque Iure Honoribus. Quibus quidem ut rite potiatur A. D. XX. Aprilis hora pomeridiana II.

L. VIII. C. DE TESTAMENTIS

scholis cursoriis in auditorio iure consultorum illustrabit, posteroque die disputationem ab Ipso iam indictam sine Praefide defendet, quo facto Vir Illustris atque Amplissimus CHRISTIANVS RAV Iuris vtriusque Doctor, Pandectarum Professor Publicus Ordinarius, Collegii Iureconsultorum et Supremae Curiae Electoralis Adfessor, Ecclesiae Cathedralis Numburgensis Capitularis etc. Collega Honoratissimus, cui Promotoris munus Procancellarius rite constitutus delegauit, Summos in Vtroque Iure Honores cum omnibus iuribus atque priuilegiis, excepto uno succedendi iure in Ordine nostro, doctissimo Candidato conferet.

Sed ut illustriora sint nouae dignitatis auspicia, rogamus VOS,
RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, ILLVSTRISSIMI COMITES,
PROCERES VTRIVSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMI, GENEROSISSIMI
NOBILISSIMIQVE COMMILITONES, omni qua par est obseruantia, ut indictam disputationem et solemnitatem Vestra praesentia laetiorem splendidioremque reddere velitis, quam quidem beniuolentiam omni, qua fieri potest, obseruantia demerere studebimus.

P. P. in Universitate Studiorum Lipsi. Dom. Misericordias Domini
anno CCCCCXXXV.

LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERIA.



Universitate Studiorum Lipsi. Dom. Misericordias Domini
anno CCCCCXXXV.

ULB Halle
003 606 52X

3



Farbkarte #13



PROCANCELLARIVS

JANVS GOTTL
ENERVS

ECTORALIS SAXONICAE ET FACVL
ADSESSOR INSTITVTIONVM IVRIS
S PROF. PVBL. ORD.

UTROQVE IVRE HONORES

RO DOCTISSIMO

I A V G V S T O
PELIO

RIVSQUE BACCALAVREO

APRIL. C I O I O C C L X X X X V .

H. L. Q. C.

IPERTIENDOS

INDICIT.

onum iuris publici et feudalis
pecimine II.

nio captiuorum in bello solemn
cum gente extranea.